Pugnae duae atrocissimae erant, quarum prior 6½ horas durabat: vicimus: Neandertus ut ministeriis proponatur, 11 suffragiis contra 6 (Severi, Physici, Floris, Ludovici, Brii, Lapsii — Helenae pater aegrotus est) decrevimus, ut nemo praeter eum proponatur 10 contra 7 (Callaega in castra hostium transfugerat) — Adversariorum causam fervens Physicus furibundus ille homo defendit, Flos ridiculas nonnullas oratiunculas habuit, Severus anxie tacebat, Ludovicus Loquax vix muttivit. amicorum nostrorum fortissimus Schillerus exstitit, qui in adversarios velut in discipulos copiosis orationibus invectus est. Passus semper timebat, ne quid contra Physicum diceret, quod vitio sibi verteretur. Iudaei nisi fallor tale quid „Eme" appellant. ego ad dexteram sedebam amici optimi eumque pro viribus meis adiuvi. is sane nimia pugnandi, feriendi, lacerandi, decollandi, delendi cupidit[ate] abreptus rem suam satis inscite gessit. nunc summa laetitia affectus me rogat, ut Tibi, mi Weilande, scribam se fortissimum fuisse! sentisne aliquiddam? utinam Tu quoque aliquando impavidus bellator affuisses. etiam atrocior pugna in senatu erit, diffidendum enim medicis. Vale!

Foram forestrem orationem habuisse per se patet.